

cleric. leg. 14. Omnis. Lex lata ab Imp. Valentiniano, Valente et Gratiano de vita, honestate, conversatione Ecclesiasticorum et Continentium missa ad Papam Damasum lecta fuit in ecclesiis urbis Romæ ann. 370-
ibid. leg. 20. Ecclesiastici. Lex de foro Episcoporum
 23. *Qui mos ibid.* missa ad Episcopos, lecta fuit in ecclesiis. Quam consuetudinem servatam fuisse etiam sub Justiniano Imperatore testatur *Novella* ejusdem Augusti *Constitutio sexta*, quæ data creditur ann. 558. in qua, postquam multa de Episcoporum aliorumque clericorum ordinationibus prudenter statuisset, ita decernit: *Sanctissimi siquidem Patriarchæ uniuscujusque diœcesis hæc proponant in ecclesiis sub se constitutis, et manifesta faciant Deo amabilibus metropolitans, quæ à nobis constituta sunt. Illi quoque rursus proponant ea in metropolitana sanctissima ecclesia, et constitutis sub se Episcopis manifesta faciant. Illorum vero singuli in propria ecclesia hæc proponant, ut nullus nostræ reipublicæ ignoret, quæ à nobis ad honorem et ad augmentum magni Dei et Salvatoris nostri Jesu Christi disposita sunt.* Conf. Petr. de Marca *lib. 2. cap. 15.* Gibert *proleg. part. prior. tit. 9.* Van-Espen *in tract. de publicat. leg. eccles.* Petrus Colletus *præl. theol. tom. 2. tract. de legib. cap. 5. sect. 4.*

§. XLIX.

Et summis Principibus probatæ.

Sed nec præmittenda nobis est hoc loco temere sanctissimorum veteris Ecclesiæ Præsulum in edendis disciplinæ canonibus consuetudo, qua illos antequam regularentur per provincias, probandos *Imperatoribus* confirmandosque offerre solebant. Res ipsa extra omnem est

posita controversia ipso fatente *Baronio* (1), non ex actis veterum conciliorum dumtaxat, (quod de *Marca* ostendit pererudite, ut solet, atque copiose, (2), verum ex Synodis etiam *actavo* et *nono sæculo* in *Hispania*, *Gallia*, *Germania* celebratis. Ita *Arelatensis Synodus* sub *Carolo M.* habita: *Hæc igitur*, ait (3), *sub brevitate, quæ emendatione digna perspeximus quam brevissime adnotavimus, et Domino Imperatori præsentanda decrevimus: poscentes ejus clementiam, ut, si quid hic minus est, ejus prudentia suppleatur; si quid secus, quam se ratio habet, ejus judicio emendetur; si quid rationabiliter taxatum est, ejus adjutorio divina opitulante clementia perficiatur.* Synodi porro *Moguntinæ* ex eadem ætate præfatio hæc habet: *Quatenus ea, quæ paucis perstrinximus capitulis, à vestra auctoritate firmantur, si tamen vestra pietas ita dignum esse judicaverit; et quidquid in eis emendatione dignum reperitur, vestra magnifica imperialis dignitas jubeat emendare* (4). Similia his exstant in *Turonensi*, *Cabilonensi*, *Toletanis* atque aliis permultis ex ea ætate conciliis, quæ adscribere nihil necesse est.

SCHOL. Atque hoc faciebant tum Patres, quando ipsi sine Regibus suis synodos celebrabant: quod quidem contingebat rarius. Plerumque enim Reges ipsi in synodis, quas regias vocat *Benedictus XIV. de syn. diœc. lib. 1. cap. 1. §. 2.* disciplinæ constituendæ auctoritatem impendebant. De his synodis vid. de *Marca lib. 6. cap. 24. seq.* Steph. Baluz. in cultissima præfatione ad capitularia Regum Francorum. Hujus generis fuisse synodos sub primis Regibus nostris habitas suo loco probabitur.

- (1) *Ad ann. 856. n. 4.*
 (2) *Lib. 2. cap. 10. §. 7. seqq.*
 (3) *Can. 26.*
 (4) *Pagius. crit. ad ann. 813. n. 19.*

§. L.

Cujus probationis quæ vis.

Consuetudinis vero istius quæ vis sit quæve ratio, dum quæritur, non una est eruditorum sententia. *Baronius* agnoscit factum (§. XLIX.), sed ut mos est viri illius, nudum et cum violentia conjunctum potius quam æquo jure. *Grebnerus in Germania sacra* (1) laudato perperam in eam rem *Pagio*, officiorum hæc esse verba censet magis quam potestatis regiæ ac subjectio- nis argumenta. Nempe adultores hic Episcopos, ille facit Imperatores juris alieni iniquos usurpatores. *Heningesius* in libro, quem de summa Imperatoris potestate circa sacra inscripsit: Hoc ultimum, ait (2), et summum imperantis judicium decretis atque canonibus tam necessarium est, ut supra consilii nudum nomen ea ad præcepti dignitatem et obligatoriam virtutem elevet. At huic adversatur et ipse Protestantium communione consultus juris *Breuningius*, qui, quidquid in suis conventibus statuerit (Ecclesia) scribit, non egebit confirmatione, sed sua natura vi pacti obligabit. Approbatione igitur imperantis ad summum ea indigebunt, ut ne sit in his statutis, quo respublica turbari possit (3). Atque ita est profecto. Vis et imperium legis ab auctoritate Ecclesiæ pendet (§. XLVI.). Sed quod attinet ad canones, ait prudentissimus de *Marca* (4), qui non quidem de fide aut Sacramentorum ritibus, sed de reliqua disciplina feruntur, quia legum perpetuarum vires obtinere debent, et clericorum, imo etiam sæpissime laicorum personas respiciunt, ex qui-

(1) Part. 3. obs. 7. §. 3.

(2) Cap. 8. §. 17.

(3) Instit. jur. eccles. univ. cap. 3. §. 98.

(4) Loc. cit. §. 9.

bus reipublicæ corpus componitur, novamque aliquando disciplinæ formam constituunt, quam plurimi Principum interest, ut ea decreta mature discutiant, antequam eorum executionem publicam et forensam lege sua indulgeant, ne fortassis aut publicæ utilitati aut tranquillitati adversentur. Confirmati autem à Principe canones vim legis publicæ adipiscuntur, quæ necessaria est, ut per omnes imperii provincias executioni tradi possint, et si qui contradicant, auctoritate publica coërceantur.

SCHOL. Colligas hinc, non nudum, quemadmodum apparitores solent, exsequendæ conciliorum sententiæ ministerium præstitisse Principes Christianos, verum jure post sententiæ Patrum auctoritatem suam adjunxisse, habita cum primis ratione disciplinæ, quæ imperii causam non minus quam Ecclesiæ respiciebat. Atque hoc est, quod etsi obscure ac timidius innuere visus est *Muratorius lib. 1. de ingenior. moderat. cap. 15.* his verbis: Illa autem pars disciplinæ, quæ servatur in politicis legibus, et prospicit rerum temporalium regimini ac distributioni, sæpe, ut valeat, consensu indiget Principum, populorum, aliorumque Episcoporum. *Conf. de Marca lib. 6. cap. 22.*

§. LI.

Dispensatio ecclesiastica.

Hactenus de legibus in Ecclesia condendis earumque efficacia. Nunc de mutandis illis pauca subjicienda sunt. Est autem legum, quibus societas Christianorum regitur, duplex genus. Unum earum est, quas lex æterna sanxit, ut ait *S. Ivo* (1), quæ observatæ salutem conferunt, non observatæ eandem auferunt. Alterum illarum, quas posteriorum diligentia ratione utilitatis invenit, non ad salutem principaliter obtinen-

(1) In præf. Decret.

dam, sed ad eam tutius muniendam. In priori genere legum nullæ sunt Ecclesiæ, præterquam in interpretando, partes (§. XXXVIII.). Quapropter merito reprehenduntur passim canonum illi interpretes, qui glossam sequuti dandæ veniæ potestatem summo Pontifici etiam in divino jure faciebant, si qua eam juxta causa suadere possit; quod quidem loquendi genus, nisi ad deliberationem ejus juris referatur, tamquam à ratione alienum prorsus repudiandum esse, verissime de Marca præcipit. At quæ ex genere sunt altero, has ob eandem, quæ peperit, utilitatis et necessitatis causam mutari nihil vetat. Recte Tertullianus, regulam fidei, aiebat (1), unam omnino esse, solam immobilem et irreformabilem: hac autem lege fidei manente, cetera jam disciplinæ et conversationis admittere novitatem correctionis, operante scilicet et proficiente usque in finem gratia Dei. Canonibus autem sæpe hodie derogatur dispensatione, quæ sumitur pro venia legis, quam providam juris relaxationem vocant Jurisconsulti. Ejus effectus hic est, ut canone vim suam obtinente, is, cui indulgetur, à vinculo legis et obligatione pro singulari quodam casu singulari auctoritate superioris liberetur: quo ipso distat à privilegio, quo per modum legis perpetuæ quis ab observando canone eximitur.

SCHOL. Quod hic dispensationem voco, variis tam Græci Patres quam Latini nominibus efferunt, de quibus vid. Franc. Florens in dissert. de dispensat. eccl. tom. I. pag. 375. seqq. et Petro de Marca lib. 3. cap. 13.

§. LII.

Quando locum habeat.

Dispensationum ecclesiasticarum et multa sunt et antiqua exempla, Petro de Marca et Florenti diligen-

(1) De vel. Virg.

ter et eximio cum judicio collecta illustrataque (1), quæ non tantum veniæ dandæ potestatem, verum usum etiam potestatis ac modum luculentissime commonstrant. Neque enim pro vero admitti potest, quod recentiorum quorundam intemperantia statuebat, solutum esse lege omni supremi in Ecclesia Antistitis dispensandi arbitrium (2): quod vanum sordidæ adulationis commentum jam olim D. Bernardus egregie refellebat, dissipationem vocans non dispensationem indulgentiam, quæ cæco atque illiberali impetu profunditur. Et in primis quidem infracti canonis gratiam faciebat interdum severa Patrum disciplina, veniam infringendi aut nunquam aut raro dabat: neutram, nisi dum vel necessitas urgebat, vel provocabat utilitas, vel pax et charitas deposcebat. Illam Bernardus, hanc etiam Augustinus æquam lenitatis causam probabat. Prior ita habet (3): Quid? prohibes dispensare? Non, sed dissipare. Non sum tam rudis, ut ignorem positos vos dispensatores, sed in ædificationem, non in destructionem. Denique quæritur inter dispensatores, ut fidelis quis inveniatur. Ubi necessitas urget, excusabilis dispensatio est; ubi utilitas provocat, dispensatio laudabilis est. Utilitas, dico, communis, non propria. Nam quum nil horum est, non plane fidelis dispensatio, sed crudelis dissipatio est. Augustinus vero in epistola 185. alias 50. In hujusmodi causis, inquit, ubi per graves dissensionum scissuras non hujus aut illius hominis est periculum, sed populorum strages jacent, detrahendum est aliquid severitati, ut majoribus malis sanandis charitas sincera subveniat. Nec hoc immerito quidem; nonne enim justissimum esse liquet, ut quæ pro charitate inventa fuerunt, pro charitate quoque, ubi expedire videbitur, vel omittantur, vel intermittantur, vel in aliud forte commodius

(1) Loc. cit.

(2) Contareni epist. ad Paulum 3.

(3) Lib. 3. ad Eugen. cap. 4.

demutentur (1). Utilitatem demum canonica dispensatio eam requirit, quæ est Ecclesiæ ipsius, non propriam; publicam, non privatam. Quod gravissimis verbis adfirmantem audivimus *D. Bernardum*: confirmat *Goffridus Vindocinensis* (2). His regulis *Gratiani* adhuc ætate ecclesiastica dispensatio regebatur, quod ex *Decreto* ejus manifestum est. Unde intelligi potest, quam circumscriptus ejus usus per mille et amplius in *Ecclesia Dei* annos fuerit. At recessum ab his est regulis, ex quo, ut ait *Fleurius*, *Pontificum potentia nulla re magis censerî posse videbatur, quam si dispensationes à canonum observantia in infinitum extenderentur. Part. 1. Inst. jur. eccles. cap. 1. §. 17.*

SCHOL. Recessum est, inquam, vitio hominum, non Ecclesiæ ipsius, cui imputare illud iniquum est. Conf. *Barthel. dissert. de eo, quod circa libert. religion. justum est, cap. 8. §. 28. Nunc vos illud admoneo* (verba sunt *Augustini lib. 1. de morib. eccles. cathol. cap. 34.*) *ut aliquando Ecclesiæ Catholicæ male dicere desinatis, vituperando mores hominum, quos et ipsa condemnat, et quos quotidie tamquam malos filios corrigere studet.*

§. LIII.

Idem de privilegiis et exemptionibus tenendum est.

Quod de dispensationibus dictum est, id de privilegiis atque exemptionibus valere hoc magis debet, quo gravius disciplinæ vulnus infertur duratura in perpetuum, quam temporaria et quasi momentanea ejus relaxatione. (§. LI.) De privilegiis, inquam, atque exemptionibus illis maxime, quæ Episcoporum divinitus institutam auctoritatem (§. XXI.), et hierarchiam in ecclesiis subordinationem (§. X.) aut soffodiunt tacite, aut

(1) *Bern. cap. 2. de præcept. et disp.*

(2) *De Marca lib. 3. cap. 14. §. 8.*

aperte agrediuntur. Cujusmodi privati juris, melioribus temporibus non auditi, quum primum in *Cluniacensibus* exemplum prodidit *Gregorius VII.* monarchiæ absolutæ studiosissimus Pontifex, incredibile dictum est quam iniquis novus hic conatus studiis exceptus sit: quod ex *Fulberti*, *Ivonis*, *Joannis Salisberiensis*, *Bernardi*, *Petri Blesensis*, aliorumque ejus ætatis sanctissimorum doctissimorumque hominum querelis testatissimum est (1). Et vero docuit ipsa dies, quam perniciosa christianæ civitati enormis hæc facilitas exstiterit, ut mirum non sit, de tollendis aut mitigandis exemptionibus actum persæpe, emendandoque abusu Ecclesiæ universæ non gravi magis quam noxio (2). Sed ut nunc res sunt, etsi ad sætudinē temperatum, nondum tamen deletum est penitus scandalum, quod ex hac graduum perturbatione natum est. Quare licet ob hanc causam tollere exemptiones necesse non sit, quia tamen canonum istæ et severioris disciplinæ remissiones interiorē rerum publicarum tranquillitatem non modice lædunt; non alienum à jure summorum esse Principum, si his incommodis pro ea, qua possunt, auctoritate prospiciant, intelliget, opinor, nullo negotio quisquis res superiori tempore gestas diligenter et vacuo à præjudiciis animo expendere volet. *De Marca lib. 3. cap. 16. §. 8.*

SCHOL. An revocanda igitur privilegia omnino censibimus? De hoc quidem expendant, quibus populi christiani salus à Deo concredita est. Sed si molimina intueor, quibus privilegia exemptionesque suas tueri aggressi sunt homines partium suarum, quam canonum studiosiores: jam eo res adducta videri potest, ut ne reliquum fecerint quidem Ecclesiæ remedium, quo dignitatem suam tueantur. Quum *Paulus P. II.* bullam *Clementis III.* qua omnes Mendicantium ordines ad jus commune revocabat, publicare meditaretur, generales ordi-

(1) *Espen jur. eccles. part. 3. tit. 12. cap. 4.*

(2) *Biga diss. jur. publ. eccles. diss. 1. §. 13.*

num eorundem Præpositi *provocationis ad concilium generale formulam* adjecerunt, ut Raynaldus narrat *ad ann. 1471. n. 69.* Et si Bzovio et Wadingo fides adhiberi potest, Innocentio mortis causa existit hæc præcipue, quod privilegia ordinum religiosorum paullulum circumscribere ausus esset. Ita scilicet Deo curæ sunt, ut ne monachus Episcopo suo subjiciatur. Rursus in concilio Tridentino, quum de revocandis aut mitigandis saltem exemptionibus ageretur, non placuit exemptiones à summis Pontificibus concessas ab alio quam à Romano Pontifice tolli aut minui. Pontificem autem, nisi suam ipsam dignitatem imprudenter conetur labefactare, id quidem facturum numquam Pallavicinus nos jubet credere *in hist. concil. Trid. lib. 12. cap. 13. §. 8.* ubi, *haud inficior*, inquit, *unum ex emolumentis, quæ regularium immunitas secum fert, in eo situm, quod auctoritatem sedis Apostolicæ sustineat, secundum institutionem Christi et Ecclesiæ bonum, quum in comperto sit, omne monarchiæ regimen, quo se illæsum tueatur, opus habere in singulis provinciis aliquo prævalido præsidio ejusmodi subditorum, qui Principi per se ac perpetuo illi dominanti nequaquam subjiciantur. Neo alio pacto*, inquit *lib. 8. cap. 17. §. 12.* *laudati ordines sustentandæ Lateranensi basilicæ collabenti, hoc est, Ecclesiæ catholicæ opportuni fuissent: vaticinium profecto, quod re comprobatum est, vel ipso Nicolao Machiavello fatente.* Ita purpuratus hic historiographus, dum suæ studet causæ, ignarus sedi Romanæ turpissimam maculam inurit. Quanto rectius Ill. Bossuet: *Certo statui-mus*, inquit, *numquam Ecclesiæ catholicæ, numquam sedi Apostolicæ suam dignitatem constituturam, nisi defensis canonibus adscitisque Episcopis, quos ipse Christus adjutores dederit. In corol. defens. declar. Cler. Gallic. §. 11. in fine.*

§. LIV.

De jure interpretandi.

A dispensatione porro distat *interpretatio*, quæ non in lege relaxanda, sed in vero ejus sensu eruendo ac determinando versatur. *Authentica* est, dum ab ipso legis auctore proficiscitur, aut ab alio, cui hanc ille potestatem contulit. Ejus faciendæ jus pars est potestatis illius, quæ rogandis legibus exercetur. Quapropter dubitari non potest, quin Ecclesia christiana potestatem habeat interpretandi leges, non suas modo et ad disciplinam exteriorem pertinentes, verum illas etiam, quæ religionis (§. XXXVIII.) et morum dogmata complectuntur (§. XXXIX.). Huc pertinet *Concilii Tridentini decretum: Nemo suæ prudentiæ innixus in rebus fidei et morum ad ædificationem doctrinæ christianæ pertinentium sacram Scripturam ad suos sensus contorquens contra eum sensum, quem tenuit et tenet sancta mater Ecclesia, cujus est judicare de vero sensu et interpretatione Scripturarum sanctarum, aut etiam contra unanimum consensum Patrum ipsam Scripturam sacram interpretari audeat. Sess. 4.*

SCHOL. Conf. Natalis Alexander *in Hist. eccles. sæc. XVI. diss. 12. art. 2. §. 8. seqq.* Melchior Canus *de loc. theolog. lib. 4. cap. 4. seqq.* De potestate Ecclesiæ, quam in divino jure tam naturali quam positivo interpretando exercet, nemo est Catholicorum, qui dubitet. Sed *applicationem* ejus juris cum *interpretatione* confundunt multi tam Theologi quam Jurisconsulti, quo fit, ut Ecclesiæ auctoritatem alii plus æquo deprimant, alii vero præter Servatoris voluntatem nimium proferant. In hoc vitio cubat, nisi fallor, Innocentii ratiocinium *in cap. 13. de judic.* cujus historiam dedit Jan. à Costa *in comment.*

§. LV.

Et abrogandi leges ecclesiasticas.

Restrictior est ejus in abrogandis legibus auctoritas. Naturalium enim vis immobilis est (1). Nec quæ à Deo revelatæ sunt, novi testamenti leges ulla vi humana tolli possunt (§. LI.) Itaque humanæ relinquuntur, et ab Ecclesia ipsa profectæ leges, quas ex causa etiam abrogari interdum nihil vetat. *Quis nesciat*, ait Augustinus (2), ipsa concilia, quæ per singulas regiones vel provincias sunt, plenariorum conciliorum auctoritati cedere, ipsaque plenaria sæpe priora posterioribus emendari, quum aliquo experimento rerum aperitur, quod clausum erat? Verum hac tamen moderatione Ecclesia christiana Pastores suos uti semper voluit, ut conservata statutis Patrum reverentia tot sæculorum felici usu roborata, canonibus tam antiquandis quam condendis temperate indulgerent. Neglecta vel obruta potius veteris disciplinæ memoria, et novarum legum jam ipsa sibi pridem gravis moles quantum in Ecclesiam incommodi, detrimenti in res publicas invexerit, ignorare, nisi qui volet, nemo potest.

SCHOL. Conf. Van-Espen in dissert. de vet. canon. stabilit. et usu. Et auctor libelli, cui titulus: *Jura Ecclesiastica à Sacris Scripturis deducta. Aug. Vindel. ann. 1773. 8.*

(1) Lactant. div. Inst. lib. 6. cap. 8.

(2) Lib. 2. de Bapt. cap. 3.

CAPUT V.

DE POTESTATE ECCLESIAE
JUDICIARIA.

§. LVI.

*Quid sit potestas Ecclesiae judiciaria?
seu jurisdictio in specie?*

Pars illa sacrae potestatis, quæ in cognoscendis causis Ecclesiae definiendisque exercetur, *jurisdictio ecclesiastica* in specie vocatur, facultatemque indicat *jus dicendi in negotiis ecclesiasticæ potestati subjectis*. Dicitur autem *civilis*, quum in tribuendo singulis jure proprio versatur; *coercitiva*, dum poenas sumit de iis, quæ adversus leges ecclesiasticas temere admissa sunt. De hac proximo capite.

SCHOL. Vocabulum *jurisdictionis* ambiguum est. *Jurisdictionem* ab imperio distinguunt Romani juris interpretes, de quo discrimine Noodt et Averanius fortasse accuratissime exposuerunt. Nostro jure jurisdictionis nomine interdum potestas Ecclesiae universa intelligitur: alias eam dumtaxat partem indicat, quæ in jure dicundo versatur: quo sensu in cap. 16. de offic. judic. ord. accipi evidens est, dum *jurisdictio causarum omnium ad forum ecclesiasticum de jure spectantium cum censuris ecclesiasticis à ceteris Episcopatus juribus aperte secernitur*: et in cap. 18. eod. *causarum examinatio et decisio, atque emendæ, seu multæ ad legem jurisdictionis pertinere dicuntur*, quam ætas recentior à lege diœcesana separavit. Conf. Bohmer in jur. eccles. Protest. tit. 31. §. 11. seqq. Gasp. Barthel. de jure reformat. antiq. tom. 1. pag. 134. Neller in diatrib. inaugur. de jur. diœcesan. Mogunt. 1751.